

21
G. 73. num. 172.
II. 27.
1767, 34.

DE
LEONIS PHILOSOPHI

CONSTITUTIONVM.

NOVELLARVM AVCTORITATE

ILL. I. CTORVM ORDINIS INDVLTV

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

COD. ANTECESSOR. ORDINAR. SVBSTIT

COLLEGIO I. CTORVM ADSCRIPTO

A. D. XVIII. IVN. AN. CICICCLXVII

H. L. Q. C

COLLOQVIVM CVM ERVDITIS

I N S T I T U E T

IOH. FRIDERICVS DOLES

FRIBERGENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



VIRO
MAXIME REVERENDO
IOH. FRIDERICO SCHEVCHLER

ECCLESIAE KVSTRI TIENSIS IN AGRO
LEVCOPETRENSI PASTORI MERITISSIMO

NOVERCAE SVAE PATRI
MVLTIS NOMINIBVS VENERABILI

D. D. D.

IOH. FRIDERICVS DOLES



V L I O

M A X I M E R E A P R I D E S C

I O H E S D E R I C O S C H E N C H E R

H E C P E R I A R K A S T R I T I N S I N A G Z O

J E A C O B I L I E M S I P A S T O R I W E R T H E I S O

N O A E R G O A E S A E P A T T I

M A U T I S N O M I N E A S A N T E R A B I

o o o

I O H E S D E R I C A S D O L T E S

Quem more academico defendendum sumsi li-
bellum, simul cum mei iuris fecerat hu-
manitas amplissimi Praefidis, non potui
mibi soli seruare, nec quo **TIBI** pro-
prius redderetur, qui me ipsum habes nexu et quasi
mancipio **TVVM**, quicquam sollennitatis aut cae-
rimoniae, **VIR AD MODVM VENERA-**
BILIS, intermittere. Atque in ea re non ani-
mo magis meo, quam Optimi Parentis voluntati sum
obsecutus. Quot enim vtrumque nostrum **TIBI**
beneficiis adstrixisti! Qui, qualem mibi Matrem mors
praematura eripuerat, talem, **VENERANDE**
SENE X, collocando Filiam **TVAM** omnibus, qui-
bus sexus sui praestantia censetur, dotibus instru-
etissimam, et quo mibi verbo cunctarum virtutum lau-
des complecti videor, dignissimam venerando Parente
Suo in Patris mei matrimonio, benignissime reddidisti.
At ego indignus sim mea felicitate materno que
amore, quo me Illa prosequitur, **TVI**que,
AVE OPTIME, animi tam paterno affe-

etu, nisi et Illam tanquam ex Ipsa natus suspicio, et
pro Eius TVA que salute, omniumque eorum, qui
per TE mecum coniuncti sunt, toties Deo immortalis
supplico, quoties pro memet ipso Patre que meo facio
preces. Neque mihi iuuentutis bene peractae piae-
mia potuisset efficacius Numen ostendere, quam in
TVA, PIE AVE, senectute, nec beni-
gnior usquam offerri adolescentiae meae censor.
Accipe igitur ea frontis serenitate, quae mihi in-
dulgentissimum TVVM animum semper aperit, de-
fensum a nepote TVO libellum, et studiorum meo-
rum successus prosperos, quibus cotidie soles exorare
diuinam benignitatem, his mihi piis precibus a Deo
largitore impetra. Bene vale, et placidam age dia-
tissime senectutem! Scripsi Lipsiae d. XLI. Iun.
an. CICLOCCCLXVII.



Qui ab anno post Christum natum

DCCCCLXXXVI. imperium Romanum

solus tenuit, quod antea cum patre Ba-

filio Macedone administraverat, Leo Sa-

pientis non insigne tantum Basilicarum

constitutionum opus a parente coeptum perfecit, ve-

rum etiam nouellis constitutionibus CXIII. plurima

iuris Iustiniani capita emendare instituit. Graece eas pri-

mum ab H. Scrimgero, deinde cum H. Agylaei la-

tina interpretatione in ipso corpore iuris civilis a Dio-

nysio et Iacobo Gothofredis, (Iacobus enim Parisinae edi-

tionis anno CICCCXXVIII. auctor extitit,) tandem

a Simone Louanio, ne alia latinae tantum translationis

exempla commemorem, publicatas esse, inter omnes con-

stat.



stat. De vsu autem illarum atque auctoritate non vna est virorum eruditorum sententia. Nam Iacobus quidem Cuiacius, (Obs. XVII. 31.) et qui fere semper Cuiacianis opinionibus assensum praebuit, Iacobus Gothofredus, (*Manual. Iuris* p.75.) ne in Oriente quidem Leonis aetate obtinuisse arbitrati sunt, nisi quas his de rebus, de quibus nihil esset ante sanctum, veluti de epochis maritimis, deque *ispoloyia* matrimoniorum constitueret. Tantum abest, ut aliquam ipsis hodie tribuerint facultatem. Alii contra pristinum earum usum sub imperio Leonis defendere, quin hodiernam nonnullarum auctoritatem testimonii atque exemplis confirmare sustinuerunt. In quibus quidem Bynckershoekius eminent et Caspar Achatius Beck, quorum is in Obseruation. Lib. IV. cap. i. erudite aduersus Cuiacium disputauit, huius autem insignis in Nouellas Leonis commentatio, quanquam commemorata a plurimis, adeo tamen rara inuentu est, ut maximas illustri Stiglito, collegae nostro venerando, gratias debeamus, qui ex instructissima bibliotheca eius nobiscum exemplum humanissime communicauit.

§. II.

Fateor tamen, nouam virorum doctorum de vsu nouellarum Leonis sententiam mihi non videri idoneis rationibus approbatam. Quae enim, quae, inuidia est, ubi similitudinem peregrinae legis agnoueris, ex ea nostrum morem praecipi iudicio ductum existimare. Praeterea nescio, an vim testimoniorum, quibus Augusti Philosophi correctiones in ipso Oriente Cuiacius infirmitatis conuicit,

argu-



9

argumentationibus his retuderit Bynkershoekius. Nam haec quidem postrema ratio videtur mihi omnem fidem historicam labefactare; altera autem hodiernam in iudiciis legum Leonis auctoritatem laudantium, nisi etiam ipse usus repugnet, de honore antiquitatis, quem Germanico iuri et Canonico habemus, aliquantum detrahere. Quae igitur hac de re conieci forte in aduersaria, quantumvis festinanti calamo, ut temporis excusatio immaturaæ scriptiunculae praeuertenda sit, age expediam.

§. III.

Testes adducit Cuiacius interpretes Graecos, qui Leonis constitutionibus plane omnem in foro suo auctoritatem abnegant. Εγένοντο καὶ παρὰ ἀντεῖ, inquiunt, nempe Δέοντος, πολλαὶ νεαραὶ, οὐκ ἐμφύτησαν δὲ, εἰ μὴ μόνον αὐτινες ἐγράφησαν εἰς ὑποθέσεις, περὶ ὧν ἀλλοι παλαιότεροι νόμοι οὐ διελάμβανον, καὶ σογί έγένοντο εἰς ἀναπλήρωσιν ἐκείνων, ὡν αἱ παρὰ τοῦ Ἰουστινιανοῦ νεαραὶ περέλιπον, καὶ οὐκ ἐπον περὶ τούτων ἐντελῶς καὶ σαφῶς, Αὕται γάρ μόνοι ἀπὸ τῶν νεαρῶν τοῦ Κυρίου Δέοντος τοῦ σοφοῦ ἔχουσι τοῦ κόρου καὶ σέργονται, αἱ δὲ ἀλλαὶ πάσαι παρηγέρθησαν. Breuius in Pragmatica MICHAELIS Procons. et iudicis Attaliatae: Οἱ μακαρίτης βασιλεὺς Κύριος Δέων νεαρὸς μὲν ἐντέθειεν πολλὸς, οὐκ ἐμφάτησαν δὲ, εἰ μὴ μόνα, ἀντεῖς ἐτέρων νόμων μὴ ὑπόντων ἐγράφησαν, ή εἰς προσθήμην τῶν πάραινθέντων ταῖς νεαραῖς τοῦ Ἰουστινιανοῦ ἐγένοντο. Quid contra ea Bynkershoekius? Nimirum esse haec sequiorum temporum testimonia, quibus Basilicorum opus iam aliarum legum lumenibus offecisset, nec constitutiones

B

Leonis



Leonis ab interpretibus solas in altero loco commemo-
rari, nec vtrumque ad eas leges quae aliquid noui, nun-
quam antea decisum, sanciuissent, Sophique corre-
ctiones iuris antiqui pertinere. Quarum quidem alterum in-
tellectum est ab ipso Cuiacio, alterum de correctoriis legibus
sumtum verbis Michaelis et caeterorum interpretum apertissi-
me aduersatur. Quod vero de Basilicorum nouationibus
a viro doctissimo dictum est, fallor, nisi Bynkershoeckii
magis, quam Cuiacianam rationem euerit. Quippe Ba-
silicarum constitutionum volumina, quod ex Nou. Leonis
LXXI. et ex ipso Nouellarum consilio intelligitur, atque
aliunde etiam satis constat, tempore suscepiae correctio-
nis, quam scriptis his constitutionibus Leo instituit, iam
perfecta fuerunt, atque in lucem edita, neque Bynkers-
hoeckius sensit, nisi de repetita illorum paelectione
Constantini Porphyrogenetti. Quae si legum Nouella-
rum Leonis auctoritati obfuit, proximum Philosopho
imperatorem nullam earum rationem habuisse oportet.
Certe igitur non ultra Leonis aetatem obtinuerunt. Quo
constituto facilis est de veritate Cuiacianae opinionis con-
iectura.

§. IV.

Non multo felicior Bynkershoeckius in collocandis
nouis sententiae suae praefidit. Ipsum, ait, Leonem nouel-
las suas animo iuris condendi proposuisse, sibique de ea re
ex prooemio Nouellarum constare. Bene est, quod
idem etiam aliunde apparet; nam posset totus constitutio-
num

+ + +

num codex cum prologo in publicos usus elaboratus esse,
et tamen intra Leonis scrinia aetatem eius omnem delituisse.
Sed et alii imperatores constitutiones Sophi passim commemo-
rare, easdemque in numero legum non nulli Basili-
corum interpretes Lib. LX. Tit. XXIII. cap. 3. litt. P. et Q.
et Libr. LX. Tit. XXXXI. cap. 56. litt. F. et Id. XXXVII.
cap. 85. Litt. I. posuerunt, diuersis etiam locis in *Promulgatio*
retulit HARMENOPVIUS. Haec noua Bynkers-
hoeckii argumenta, tum quidem maiorem vim habitura, si
omnium Sapientis Nouellarum auctoritatem sollicitasset
Cuiacius. Nunc vero quas, quoae, Leonis leges lau-
darunt subsecuti imperatores? An correctiones iuris Iusti-
miani ratas habuere? Fac, has ipsas emendationes commemo-
rauisse Basilicorum interpretes. Ideo ne de illarum usu
testati sunt? Quin aliud longe clariss, cuius verba protuli,
testimonium renunciavere. Cui fidem abnegare pernicio-
sum est, nisi melioribus rerum ipsarum argumentis infir-
mari queat. Sane ita disputat Bynkershoeckius, ut magis
molestus, quam verus Cuiacii aduersarius habeatur. Nam
quibus ille exemplis tum priuatinam legum Leonis vim apud
Graecos ostendere voluit, tum aduocato in auxilium Christo-
phoro Angelo (de statu ecclesiae Graecae p. 112.) hodie-
nam in iisdem gentibus earum auctoritatem demonstrare,
in his nec interpretum testimonio, nec iudicio Cuiacii
erat sublata. Qua de causa nolle Bynkershoeckio
assensisse B. Bachium, virum doctissimum, quo histori-
ani iuris Graeco-Romani post Iacobum Gothofredum ne-



mo felicius tractauit. Ipse vero, quod raro accidit per spicacissimo eius ingenio, Bynkershoeckii, quanquam eruditionem Cuiacianam non attingentis, auctoritate abruptus est in eam opinionem, ut alteram sententiam vanitatis dampnaret, neque testimonia a viris doctissimis producta tantam habere facultatem decerneret, quantam iis arrogare conati essent. (Hist. Iurisprudent. Romanae L. VII. cap. II. §. VIII.)

§. V.

Dum igitur validiora ab aduersariis argumenta proferantur, Leonis Sophi nouellas, quae non his de rebus sancirent, de quibus nihil esset ante constitutum, nec veteres tantum leges interpretarentur, ne in Oriente quidem obtinuisse Graecorum iure consultorum fide statuimus, siue quod ipse Leo Iustinianarum legum, quas emendare aggressus esset, potentiores usum non pertinaciter improbarerit, quo saepe consilio quaque humanitate fit, vt nouissimae principum optimorum leges haud obtineant, siue quod Constantinus, Leonis in imperio successor, noua Basilikorum editione Sophi correctionibus derogauit. Non melior illarum per Occidentem fortuna. Cum enim haec imperii Romani pars in ditionem Leonis nunquam transierit, apud Italos quidem iuris Iustiniani, in Galliis Theodosiani codicis honos, nisi quid mos et ratio viatorum originis Germanicae immutauerat, ab omnibus Graecorum emendationibus illibatus permansit. Et quanquam suspicari posses,



posses, quo tempore legum Romanarum studia in Italia re-floruerint, ab Irnerio atque aliis iurisprudentiae patribus esse etiam Leonis Nouellas in usum Occidentis adductas, ipsa tamen eius aetatis historia, qua litterae graecae a plerisque ignorabantur, deque Leonis legibus, primum ab Henrico Scrimgero editis, aut nemini constabat, aut paucissimis tantum, eam rationem conuincit. Praeterea Glos-satoribus sere maiorem, quam ipsi iuri ciuili auctoritatem constitisse accepimus, vulgatumque est verius erbum, quam legem Glossa non agnouerit, eam nec in Curia obseruari. Quae quum ita sint, bonusque Accursius Leonis constitutionibus pepercerit, non debemus de antiqua earum in his Imperii Romani partibus auctoritate cogitare. At pos-set ea, fateor, ex alio promanasse diuerticulo. Nimirum glossas Graecorum variis quidem de caassis, iisque in vul-gus notis nouimus ab Italib[us] passim receptas, latineque red-ditas, ut non vbius locorum sine Graecis auxiliis intelligi queant interpretationes Accursiana[rum]. Quodsi etiam Graeci iureconsulti nonnullas Leonis Nouellas Basilicorum scho-liis expresserunt, potest earum usus ea ad nos via perue-nisse, velut non absimili modo Romani Lecapeni de iure praelationis constitutio noua Friderici II. promulgatioue au-toritatem dicitur in imperio Romano Germanico esse adepta. Quo facto non essent reprehendendi, qui leges Augusti Philosophi Scrimgeriano atque Agylaei beneficio tandem cognitas in fontibus iuris, quo utimur, habuerunt.



§. VI.

Verum ea argumentatio dupli ratione conuellitur. Primum enim Irnerius, caeterique scholae Irnerianaे proceres haud tenuerunt hanc viam, ut legum in Italia non promulgatarum graeca interpretamenta referrent, nisi quæ earum capita decretis conciliorum essent in ius ecclesiae Romanae transcripta: deinde etiam apud Graecos obtigerat correctionum iuris Iustiniani, a Leone institutarum, obliuio. Quibus autem legibus Leo prioribus sanctionibus auctoritatem restituerat, veluti de thesauro inuento epistole Hadriani No. LI. eas commemorare non opus fuit, cum Italici iureconsulti, nisi canones aut Germanicae leges obstant, in Iustiniani inuentis ac rationibus citra villam haesitationem persisterent. Quam ob rem non dubitamus pronunciare, nullam vñquam legem Leonis in Italia aut Germania receptam esse; (nam Germani certe potuerunt ea sarcina, quam plenam legum Romanarum Italici iureconsulti ipsis imposuerunt, contenti esse); ideoque perperam vindicari non nullis Sophi Nouellis in foro nostro auctoritatem. Hanc caussam ne cum ipso vsu conflictari videatur disputatio nostra, breuiter perorabimus.

§. VII.

Nempe sic fert opinio. Quicquid a Leone cœtum est, et Germanorum moribus aequè seruatur, id non e Leonis



15

Leonis legibus, sed aut ex antiquiori iure Romano, aut ex decretis Pontificum atque ecclesiae ad nos peruenit, aut citra villam legum Leonis obseruationem e domestieis consuetudinibus sanctificationibus proficisciatur. Nam si similium legum exempla pro fontibus habeantur, nullum mihi populum laudes, cuius te non legum auctoritatis in nostra patria vel vnico Alexandri Sardi de moribus gentium libello aut proletariorum scriptorum testimoniis oppido convincam. Ne quis vero inutilem esse huius rei demonstrationem arbitretur. Sane maioribus nostris et legum Germanicarum latoribus sit iniuria, vbi inter opes domesticas quasi ex anxia paupertate ad peregrinam mediocritatem persugimus, maloque ego, fateor, corpori Iuris canonici, quantum possunt eius argumenta cum ratione sacrorum nostrorum coniungi, quam legibus Graecorum imperatorum obtemperare. Quippe in illius partibus faniendis Germaniae quoque nationis valuerunt suffragia. Deinde quis ignorat, plurimum referre interpretis, vnde quaeque lex ducta sit, perspectum habere exploratumque. Itaque viam, quam coepi, persequar, sententiae veritatem ipsis Nouellarum Leonis exemplis confirmaturus. In praesenti tamen non multa, neque cum magno doctrinae apparatu, quod superare virium mearum tenuitatem sentio, neque illa ordine nimis curioso proponam, sed uti se in aduersariis offerunt, quae me raptim expilare iam fassus sum, veniamque oraui lectores.

§, VIII.



§. VIII.

Initium *νατὰ τὸ τίμιον* a legibus Leonis ecclesiasticis capiendum videatur. Sed quia de his minor quam de reliquis dubitatio, cum omnia, nisi quae sacrorum emendatio postulauit, e corpore iuris canonici hauriamus, ne vacuuus relinquatur hic locus, faciamus μετάβασιν εἰς ἀλλογένος, et iure potestatis ecclesiasticae, quam in Pontificem Constantinopolitanum ecclesia, hic partim ad imperatoriam maiestatem detulerat, nonnulla a Sapiente constituta esse obseruemus, quae recentior usus, pactaque in conciliis conuentiones aliter deinde definituere. Mihi certe semper memorabilis visa est Leonis professio in exordio Nou.XVII. Scribit Stephano sanctiss. Constantinopolitano Archiepiscopo et Patriarchae vniuersali: Id quod Beatitudine tua postulat, a vobis procedere, quam a nobis originem sumere ac proficisci, aequius fuerat. De re enim sacra sanctitatem tuam sancire oportebat. Verum quoniam super uno duntaxat capite concilium consultare, (cum de multis decernere concilii sit,) inconveniens esse, nos vero et citra concilium decreta facere posse dicitis, admonitionem suspicientes, quibus de rebus postulationem instituistis, de iis constitutionem emittimus. Deinde de pauperibus quanto diuinorum mysteriorum capaces sint, deque infantibus, nisi post quadraginta dies citra urgenter necessitatem neutquam sacro fonte lauandis aliqua hodiernis legibus improbata constituit. Dignus est locus, qui tanquam agn-

tae



tae eo etiam aeuo potestatis ecclesiasticae, quam vulgo
ius episcopale vocamus, iurisque, quo maiestas ciuilis ratio-
ne sacrorum fruitur, differentiae testimonium annotetur
atque istius in reges et principes transferendi modum
consiliumque ostendat, imprimis nostra aetate, qua post
Christianum Thomasium et vtraque potestas a quibusdam
perniciose confunditur, et eius discriminis obseruationem
legitimam sunt adeo, qui ante emendata per Lutherum
sacra semper ignoratam esse existent.

§. IX.

Magis aduersari nostrae opinioni videntur constitutions Leonis de sponsalibus et matrimonio. Nouella XVII. praecipit imperator, vt aduersus eum qui sponsalibus legitimis poenam adiecerit, si nuptiis impedimento fuisset, noluissetque vti ea conditione, detur ex stipulatu actio. Cuius modi quidem conuentio iure Romanorum antiquo in-
honestataque inutilis est. cap. 134. pr. de V. O. Sed Leonis sententiam hodiernis moribus obseruari testatur Bergerus Oecon. Iur. Lib. I. Tit. III. §. VI. not. 2. Ergone ex hac Nouella ius dicitur? Minime omnium vero. Quin citius confirmabo, ex nostris institutis Leonem suae legis exem-
plum repetuisse. Nempe tanta diuotiorum apud veteres Ro-
manos licentia, vtsi qua repudii poena conuenisset, eius pe-
titionem perimeret exceptio libertatis, visaque omnis
cautio, quae vinculo poenae matrimonia obstringeret

C

sive



sue futura, sue iam contracta, ut egregie ostendit Noodius,
etiam bonis moribus repugnare. vid. cap. XII. D. de Sponsali-
bus. Cf. Boehmer in iure eccles. Protest. Lib. IV. Tit. I.
§. 149. Non ita apud veteres Germanos, quibus vnum
matrimonium, vnum votum, nec vterior spes. Multo
minus sponsi fidem fallere ipsis honestum aut licitum iudi-
cabatur. Itaque ex regulis iurisprudentiae germanicae nun-
quam de facultate conuentionum, quibus poena sponsi
sponsaeque vincula rumpentis definita fuisset, oriri potuit
dubitatio, nec vnu Nouellae Leonis, sed naturalis aequita-
tis reverentia ius ex eiusmodi cautionibus redditur. Quid?
quod easdem conuentiones iam Leo atque Anthemius
const. V. C. de Sponsalibus probauere. Eodem modo
quam virginem ducere voluisti, dum reprehendis ab alio
vitiatam, etiam si non esset nota constitutio Leonis LXXXIII.
a Bergero l. l. commemorata, ob insignem pudicitiae ho-
norem inter Germanos habitum, et quoniam alia ratio in
ancillis, alia in vxoribus est, denique ob diuinam legem
Deut. XXII. 21. nullus te ducere domum, aut in matri-
monio retinere compelleret magistratus.

§, X.

Proximus a sponsalibus gradus nuptiae. Has iure
Iustiniano consensus facit, factas que instrumenta dotalia
docent. At Leo celebri constit. LXXXVIII. sacrae bene-
ditionis testimonio iussit matrimonia confirmari, adeo vt
si qui

+ + +

19

si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitae illa consuetudine matrimonii iure potiri voluerit. Quam legem nos hodie sequi scribunt consummatissimi iureconsulti, item que const. LXXXI. qua licentia concubinatus sublata. Contra quos alii disputant, eam *legoλογιαν* non ingredi matrimoniorum essentiam. Vtique, si quid video, non satis recte. Nam qui matrimonium subsistere sine *legoλογιᾳ* statuunt, non ex imperii iure, sed e diuinis legibus caussam decidunt. Nostro quidem iure nihil certius est, quam sacrae benedictionis sollennitatem ingredi connubiorum essentiam ratione coniugum, ratione liberorum non ingredi. Quod memini me defensum legere, posse, quae cum sposo cohabitasset, eo quidem ante peractam *legoλογιαν* defuncto, matrimonii sibi iura dignitatem que asserere, nescio, ap singularibus locorum quorundam legibus id obtineat, certe non in universa Germania verum est. Vbi vero de liberis quaeritur, an legitimi sint, publica tantum sponsalia coniunctionem parentum antegressa exigimus. Atque haec tenus videtur usus Germaniae cum Leonis sanctione admodum consentire. Legant vero, precor, iudices eius legis exordium, in quo ipse Augustus fatur *legoλογιαν* moribus introductam esse. Sane in nostram patriam ex antiquissimis ecclesiae decretis ea peruenit. Non ego veritatem rescripti, quod Euaristo Africae episcopo tribuit Gratianus C. I. C. XXX. qu. V. defendere sustinebo. Quis est enim hac aetate tam credulus, ne rideat Isidori osticias. Nec a confarreatio-



nibus aliisue religiosis caerimoniis, quas ethnici passim in matrimonio ineundo adhibuerunt, velim cum magno Ley. fero originem *ἱερολογίας* repetere. Id vero extra dubium est, necessitatem illius primitus fuisse ab ecclesia constitutam, deinde Principum nostrorum legibus domesticis eam in legitimi matrimonii conditionibus scriptam. Neque me poenitet illi adhaerere sententiae, qnam non inuidis argumentis propugnauit celeberrimus Stoschius, ipsum D. Paullum difficulti loco epistolae ad Corinth. I. cap. XI. 10.

Διὰ τέο ὁ Φείλεται γυνὴ ἐξστατη ἔχειν ἐπὶ τῆς οὐφαλῆς διὰ τὸν ἀγγέλους, ιερολογίας υψομ τanquam optimum matrimonii denunciandi consilium commendasse. Concubinatus tandem, qua eius a coniugio differentiam benedictio sacra constituit, (rectius enim matrimonia inaequalia ita vocares;) non quidem auctoritate legis, a Leone propositae, verum ne iudiciorum ciuilium cum ecclesiasticis discordia continuaretur, an. CICICXXXXVIII. Reformatione imperii politica publice interdictus est.

§. XI.

In iure testamentorum enarrando passim ad Nou. Leonis XXXIX. et XL. prouocatur; nam caeteras, quas de eo arguento promulgavit, contra ius Iustinianum non obtinere hodie constat. Etsi vero magnam dedit operam Beckius, ut prodigi testamentum, quo bene posteritati consuluerit, Germaniae moribus firmum esse ostenderet,
ipse

+ = *

21

ipse tamen ingenue fassus est, iureconsultos leneneses contra eam sententiam respondisse. Recte quidem meo iudicio, cum alias legum et testamentorum perpetua sit ortura discordia. Quid enim, si parens prodigo substituerit, deinde etiam prodigus nondum sublato interdicto tentauerit posteritati prospicere. Vtra igitur voluntas valebit? Eiusmodi pugnae auctores non decet fieri iureconsultos. Cae terum de yisu iuris, quod const. XXXVI. et XL. continetur, haud dubito, nempe non Leonis Nouellae, ut captiuus testamentum facere possit, et captiui filius haereditatem capere, sed id ipsum patrii mores et nostra ciuium captorum miseratio sine vlla Leonis ope efficiunt.

§. XII.

Praeclarissima fere exempla, quibus aduersarii ad con uellendam nostram rationem vtuntur, commemorauimus, vt quam fragilibus argumentis sententia ipsorum defensa sit, elucesceret. Neque opus virorum doctorum testimonii, quorum haud paruam multitudinem a nobis adduci posse non dissimulat Beckius. Prae caeteris dignus Lynkerus est, cuius in Pandectas commentarius tit. de origine iuris legatur. Ne quis vero existimat, nos ideo lectionem Nouellarum Leonis inutilern arbitrari. Magnus earum usus ad difficilima iuris Iustiniani capita explicanda, nec melior v. g. const. XXII. C. de fallis interpres Leone. Sed et ante concessimus, bonas eius legnam Iustinianarum interpretationes a prudentibus nostris recipi, quemadmodum in Oriente diutissime valerunt, nec ab Alberico Gentili coniectas in



hoc legum volumen contumelias collaudamus. Displicent Leonis prologi, quos tamen illi aetati atque imperatoris studio philosophiae condonari oportet. Displicent aliquae leges, in primis const. LIII. Quod reliquum est, maxime probo iudicium Conradi Rittershusii in prooe-mio Expos. Nouell. II. n. 23. Illa communis omnium siue vtriusque generis, tam post, quam ante Iustiniandum conscriptarum Nouellarum utilitas minime est negligenda, qnod saepe insignes continent sententias, siue gnomas, qnibus tanquam gemmis distincta exornantur. Multi etiam in ilis tractantur loci communes, multae graues quaestiones. Et vt omnia verbo dicantur: Nouellae Leonis non Corpus iuris auxerunt, sed tantum eruditionem et recepti iuris intelligentiam. Grauina in Origin.


ULB Halle
003 719 014

3



1078





Farbkarte #13



G. 13. num. 12
4. 27.
1767. 34.

DE
PHILOSOPHI
ITVTIONVM.
V M AVCTORITATE
M ORDINIS INDVLTV
A E S I D E
OPHILO SEGERO
T PHILosophiae doctore
SOR. ORDINAR. SVBSTIT
L. CTORVM ADSCRIPTO
VN. AN. CICICCLXVII
H. L. Q. C
V M CVM ERVDITIS
S T I T V E T
ERICVS DOLES
RIBERGENSIS

I P S I A E
CINA LANGENHEMIA

